

abire videantur, hac nostra Constitutione Apostolica, firmum robur perpetuis futuris temporibus habitura, ea omnia confirmantes, et renovantes statuimus, atque sancimus, ut ex Monastico, Regulari, et Mendicantium instituto ad Episcopalem, seu quameunque aliam dignitatem, etiam S. R. E. Cardinalatum jam evecti, et in posterum evehendi, universis, et singulis suæ Regulæ Officiis, et obligationibus, quæ Pontificale, sive cujuscunque alterius dignitatis, aut Cardinalatus Officium minime impediunt, perpetuo subsint, et proinde sui Monastici Ordinis, sive alterius regulæ Mendicantium insignia, et propria indumenta lanea, suoque peculiari colore distincta, rasilem quoque, et ad cutis planitiem in summo vertice, vel eo gyro et forma expressam coronam præferant, quibus antea cum intra eorundem regular. Ordinum claustra Deo militarent, ex solemnibus sua professione insignia induere, et coronam præferre tenebantur, a cujus professionis obligationibus per munus Episcopale nequam absolvuntur, aut ullo pacto eximuntur. Propterea hujusmodi Episcopis ex familiaribus Regularium, Monachorum, et Mendicantium assumptis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, et mandamus ut omnia, et singula præsentibus litteris nostris hactenus recensita undequaque observare non differant. Si vero, quod absit, hoc agere contempserint, vel neglexerint, eos pœna suspensionis ab exercitio Pontificalium ipso facto incurrenda tandiu innodatos esse declaramus, donec a contumacia resipiscentes ejusdem suspensionis relaxationem meruerint obtinere.

Quia vero pastoralis nostræ sollicitudinis est non solum excusare pro optimo statu, et conservatione Regularis observantiæ in Religiosis viris, qui ex Monasticis, et Mendicantibus institutis ad onus Episcopale assumuntur; sed etiam prospicere, ne illi, qui ex his cæterisque universis Religiosis Ordinibus ad ejusmodi gradum evecti Ecclesia sibi commissa postmodum se abdicaverint, ita vivant, ut, qui eos primum in claustris Monasteriorum, deinde in culmine Episcopali conspexerant, quique ipsos demum curarum Episcopatum oneri subductos visuri essent, eis objicere nullo modo possint, quod ideo ad Episcopatum irrepperint, ut hac via Regularem observantiam deferentes extra sua claustra, quasi nullum unquam Religiosum Ordinem professi, vitam ducerent; hæc animum nostrum, omnium quorumcunque Ordinum regularium honoris amantissimum permovet, ut Apostolica auctoritate approbemus, confirmemus, et tanquam præsentibus inserta hebeamus Decreta duo ab antecessoribus nostris fel. recordat. Alexandro VII, die 20 Julii anno Domini 1622, et Clemente XI, die 11 Junii 1713, vulgata quibus Decretis Regulares ad transmarinos Episcopatus, sive Vicariatus Apostolicos translati, vel etiam Ecclesiarum administratores, aut visitatores creati, quotiescunque in locis, et Ecclesiis sibi in Episcopalis dignitatis collatione as-

signatis minime resederint, vel Episcopatum dimiserint, aut munere suo perfuncti fuerint, seu quomodocunque a Schismaticis, vel infidelibus impediti munus Episcopale exercere non possint, jubentur ad pristina suorum Ordinum claustra reverti cum reliquis confratribus suis sub eodem instituto Religiosam vitam ibidem acturi.

Hujusmodi autem Episcopis tam pio disciplina regularis instinctu ad suos redeuntibus Apostolica largitate concedimus, ut in sua Provincia quocunque Ordinis sui Cœnobium et Monasterium, ubi commode, et Religiose degere possint, sibi pro libitu eligant; ideoque volumus, et præcipimus, ut illorum præsides et Superiores Regulares, congruas eis et honestas cellulas in cœnobiis et Monasteriis ab eisdem electis assignent. Itaque Monachis, Mendicantibus, et cujuscunque Ordinis Regularibus, qui onere Episcopali sibi imposito deinceps quomodocunque etiam ultro se abdicaverint, præcipimus, eosque monemus in Domino, ut ad suorum Ordinum cellulas ultro quoque regrediantur; qua in re sanctitate, et Doctrina illustrium et magnorum Præsulum exempla eis imitanda proponimus, Cœlestini Papæ V antecessoris nostri, Gregorii Nazianzeni, Petri Damiani, aliorumque ob virtutes sacerdotales omnium sæculorum præconiis maxime dignorum Antistitum; ut interim sileamus legationibus, et muneribus clarum Ardicinum junioem a Porta Alerianensem Episcopum, et S. R. E. Presbyterum Card. tituli Pammachii, a felicis recordationis Innocentio Papa VIII renuntiatum. Is enim, annuente Pontifice, dimissis dignitatibus, vetus propositum in Sacrum Camaldulensium Eremum confugiendi resumere, atque ultro executioni mandare sanctum existimavit. Ubi vero, quod minime credimus, iidem regulares paternis nostris monitis aures accomodare noluerint, his nostris perpetuum robur habituris decernimus, volumus, et præcipimus, ut Monachi, Mendicantes, et cujuscunque alterius instituti Regulares, specialissima etiam mentione digni, qui Episcopatu sibi pridem collato quacunque causa se in posterum abdicare permissique fuerint, claustra suæ Religionis repetere omnino teneantur, et debeant; iis tantum exceptis, qui a nobis, sive a Romanis Pontificibus antecessoribus, aut successoribus nostris obtinuerint, vel obtinebunt facultatem expressam vivendi extra claustra sacro alicui muneri, quod cum vita claustrali exerceri non posset, ex peculiari voluntate nostra, vel eorundem antecessorum, aut successorum nostrorum speciatim addicti: quod quidem munus respiciat servitium, et obsequium nostrum, vel successorum nostrorum, sive hujus S. Apostolicæ Sedis. Eis autem, vel eorum cuilibet, qui hanc Constitutionem violare tentaverint, vel eam quomodocunque neglexerint, omni usu Pontificalium, etiam cum facultate, et permissione cujuscunque Episcopi exercendorum, penitus et undequaque interdiciamus; sique perseveraverint in contumacia non redeundi ad

claustra, post annum sint eo ipso suspensi a Divinis.

Omnia vero, et singula Romanorum Pontificum Decreta, Conciliorum Canones, Patrum dicta, sententias, regulas, Constitut. Usus, Consuetudines, statuta his nostris litteris memorata, post maturam hac de re habitam deliberationem, ex certa scientia, auctoritate nostra confirmamus, innovamus, et stabilimus, inque plenario robore perpetuis futuris temporibus servanda sancimus, præsentisque semper validas fore, sicque et non aliter per quoscunque Judices semper judicari, interpretari, et definiri debere statuimus. Quidquid autem secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus, non obstantibus privilegiis, concessionibus, ordinationibus, aliisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, confirmationis, innovationis, sanctionis, declarationis, suspensionis, præcepti, decreti, interdicti, et voluntatis infringere, vel ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Dominicæ Incarnationis millesimo septingentesimo vigesimo quinto, nonis Martii, Pontificatus nostri anno secundo.

P. card. prodatarius F. OLIVERIUS.

(27. *Habitus*, et color peculiaris fuit præscriptus pro discretiva visibiliter servanda in quolibet Ordine Regulari; Passerin., *de Statu hom.* tom. II, q. 187, art. 6, num. 13, et 17; alii passim. (28. *Quam diversitatem habitus, et præceptum servandi formam illius juxta præscriptum in Constitut. procedere etiam quo ad Moniales, sub Regula approbata per Sedem Apostolicam viventes, præcise resolvit Sac. Cong. Concil. 27 April. 1686, in Romana delationis Habitus. (29. Unde una Religio non debet, nec potest assumere Habitum alterius Religionis, et ad hoc variæ Religiones obtinuerunt expressa privilegia a S. Sede, ne eorum Habitus ab aliis assumeretur; uti de PP. Prædicatoribus referunt Constit. Gregor. IX et Innocent. IV, ambæ incip. *Quia confusio Habitus*; Gregor. XI, incip. *Virtute conspicuos*; Clem. VIII et Alexand. VII, ambæ incip. *Ex injuncto Nobis*, et Benedicti XIII, incip. *Pretiosus in conspectu*, et de Minoribus Gregor. IX Constit., incip. *Regularem vitam*; Clem. IV Constit. incip. *Virtute conspicuos*; Urban. VIII Constit. incip. *Cum sicut*, et de mandato Innocent. XI, ad instantiam Procuratorum Generalium Ordin. Minor. de Observantia Reformat., et Cappuccinor. Sac. Congreg. Episcop. et Regul. 21 Martii 1686, et novissime Benedicti XIII Constitut. incip. *Alias emanarunt*, edita ad instantiam Procuratoris Ordinis Minorum de Observantia, quæ ad litteram cum alia Urbani VIII refertur sub verb. *Eremita*, num. 20. Et eodem privilegio gaudent omnes Regulares Ordi-*

nes, sive per speciales concessionem Apostolicas, sive per communicationem; Rodrig. q. 76, art. 1, Portell. *Dub. Regul.*, verb. *Habitus*, num. 6, et alii passim.

(30. Et sic per eandem rationem prohibitus est Clericis Sæcularibus Habitus Regularium, et Regularibus Habitus Clericorum sæcularium. Hinc in Concil. Aquisgrani anno 816, apud Gonzalez in c. *Intelleximus*, n. 4 *de Stat. et qualit.* habetur: « Reprehensibilem, et Ecclesiastica moderatione dignum apud plerosque Canonicos comperimus casum, eo quod contra morem Ecclesiasticum cucullas, quibus solis Monachis utendum est, induant; cum utique illorum Habitum usurpare non debeant, a quorum professione quodammodo distant, quia sicut eis indecens est, ut arma militaria more laicorum gestent, ita nimium inhoneste, et valde indecorum est, ut alterius propositi indumenta sibi imponant. » Cuculla enim est talaris vestis, *Flochus* dicta, propria et distinctiva Monachorum. Clementin. *Ne in agro, de statu Monachorum*; Gonzalez in cit. cap. *Intelleximus* 11, n. 4. *de Stat. et qualit.*, et cum aliis. Card. Petra loc. cit., num. 14. (31. Pueris quoque sexto ætatis suæ anno expleto non licet, neque possunt ex devotione, Habitum Religiosum deferre, sed ipsum debent statim deponere, prout sub die 10 Januarii 1627 fuit rescriptum Neapoli Cardinali Boncompagno, ut per extensum refert Lantusch., *Theatr. Regul.*, verb. *Habitus*, n. 1. (32. Novitio exeunti non est restituendus Habitus Religionis, sed illius pretium. Sic decisum fuisse à S. Cong. Conc. referunt Navarius in *Lucerna Regul.*, verb. *Habitus*, num. 6. Barbosa in *Sum. Apostolic. dec.*, eod. verb. *Habitus*, n. 9. Lezana in *Sum. qq. Reg.* tom. I, cap. 25, num. 38.

(33-35 Super admissione ad Habitum, ejusdemque concessionem Tertiariis cum Claustralibus habitantibus, servari debet decretum Congr. super Statu Regularium, quam licet Innocentius XII, sub die 4 Augusti 1698, Const. *Debitum* extinxerit et suppresserit; singulas tamen facultates eidem quomodocunque a Prædecessoribus concessas, illis exceptis, quas Congregationi super disciplina Regulari, præfatis Litteris institutæ impertitus est, in Congregationem Episcoporum et Regularium transtulit, ex speciali mandato Sanct. mem. Clementis X, sub die 16 Maii 1675, ea de re editum tenoris qui sequitur

#### DECRETUM.

Etsi decretis Sacræ Congregationis super statu Regularium de mandato Summorum Pontificum Innocentii X et Alexandri VII jam pridem editis pro Novitiis recipiendis, statutum sit ut omnes, qui ad Habitum probationis se recipi postulaverint, diligenter examinentur, ac vota secreta probentur, quotquot idonei reperti fuerint, ætate, aliisque requisitis, ad præscriptum Apostolicarum Constitutionum ac Statutorum Ordinis; nec quispiam censeatur habilis ad hujus-

modi Habitum suscipiendum; ut Clericus, nisi annum ætatis suæ decimum quintum, neque ut Conversus, nisi annum vigesimum expleverit: nihilominus in pluribus Religionibus Italiæ, et Insularum adjacentium, aliquibus abhinc annis introductum est, ut recipiantur adolescentes laici non quidem pro Conversis, ut annum probationis incipiant, et finito tempore Novitiatus admittantur ad Professionem, sed pro Tertiariis, vel Oblatis, seu Donatis, eisque tradatur Habitum, ut vocant sine Caputio illis dari consuetum, ut sic inserviant alicui Religioso particulatim, aut pluribus, vel omnibus communiter; et multoties pueri, et adolescentuli recipiantur in Monasteriis non ut Novitii, sed ut hospites, seu postulantes se recipi pro Clericis ad Habitum probationis, et parva veste induti plures menses, quinimo et annos, sic detinentur intra Claustra, donec compleverint annum ætatis decimum quintum, Clericis ut supra præscriptum, ad annum Novitiatus inchoandum: idque prætextu, ut interea fiat experimentum de ipsorum indole, et aptitudine ad Religionem; et aliquando etiam in eadem veste iidem pueri, et adolescentuli admittantur in Novitiatus, et cum Novitiis degant ad hoc, ut eorum voces pueriles in Choro cum vocibus Professorum misceantur, dum Divina peraguntur Officia.

Quoniam vero secundum Canonicas Sanctiones, et Juris regulas, cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debeat admitti, et memorati abusus irrepserint in fraudem Legis, et elusionem Decretorum ut supra editorum in Religionum dispendium, ac non sine multorum admiratione, et scandalo; ideo ead. Sac. Congr. ut in dies crescat in Ecclesia Dei Sacrarum Religionum splendor, et veneratio, ex speciali mandato Sanct. D. N. D. Clementis Divina providentia Papæ X, hoc præsentis decreto in virtute Sanctæ Obedientiæ præcepit omnibus, et singulis Superioribus Generalibus, provincialibus, et Localibus quocunque nomine, ac titulo appellatis, quorumcunque Ord. et Congr. tam mendicantium, quam non mendicantium, ut de cætero neminem pro Tertiariis, vel Oblatis, seu Donatis, aut Commissis, vel servientibus, nec pro hospitibus, seu postulantis, vel Cantoribus, aut alio quocunque nomine nuncupatis, aut quovis prætextu vel causa, aut quæsito colore recipiant, seu admittant ad Habitum intra Claustra, nisi vigesimum ætatis suæ annum expleverint, omnesque sic receptos, seu admissos (si tantum exceptis, qui completa ætate annorum quindecim pro Clericis, seu Choristis in Habitu Novitiorum annum probationis agunt) a Monasteriis, seu Domibus Regularibus omnino amoveant et ejiciant infra terminum duorum mensium, inchoandum a die intimatiōis præsentis Decreti faciendæ Procuratoribus eorundem Ordinum, et Congregationum in Romana Curia existentibus.

Quod si prædicti Superiores præsentis Decreto per omnia non paruerint, aut in ali-

qua ejus parte contravererint, pœnam privationis Dignitatum et Officiorum, quæ tunc temporis obtinebunt, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, vocisque activæ, et passivæ ipso facto absque alia declaratione incurrant, non obstantibus quoad omnia suprascripta, privilegiis, indultis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque.

Dat. Romæ 16 Maii 1675.

(36. Prohibentur disputationes super vera forma Habitum S. Francisci; cum enim in dies orientur lites inter Patres Conventuales, et Cappuccinos circa veram formam Habitum, et Caputii Seraphici Ordinis, Urbanus VIII, die 14 Decembris 1630, mandavit eisdem « sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, nec non privationis vocis activæ, et passivæ, aliisque etiam corporalibus arbitrio Sanctitatis suæ pœnis, ne audeant de cætero voce, vel scripto de hujusmodi materia tractare, donec ab eadem Sanctitate sua aliter fuerit ordinatum. » Joannes Antonius Thomasius S. Roman. et Universal. Inquisition. Notarius sic apud Lantusch., *Theatr. Regul.*, verb. *Habitus*, num. 11.

(37. Interdicuntur libri omnes tractantes de vera successione Filiorum S. Francisci, et vera forma Caputii. Alexander enim VII fieri mandavit sequentia decreta, et in Indice librorum prohibitorum apponi, videlicet: « Libri omnes impressi, et qui inconsulta Sac. Congregat. imprimuntur, tractantes controversiam de vera, et non interrupta successione Filiorum S. Francisci, et de vera forma Caputii ejusdem, prohibentur sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis die 20 Junii 1658. » (38. Inscriptiones omnes Imaginum SS. Francisci, et Antonii de Padua, in quibus dicitur formam Habitum, qua depicti sunt, esse eandem qua ipsi usi fuerunt, vel in quibus asseritur in hoc, vel illo Ordine S. Francisci esse veram, legitimam, et non interruptam ejusdem sancti Patris in Filios successionem, inhærentes decreto alias edito die 20 Junii 1658 prohibentur. Romæ, 20 Novembr. 1663. »

(39. Suspenduntur quoque, et prohibentur Imagines S. Augustini, S. Nicolai de Tolentino, et aliorum Sanctorum ejusdem Ordinis impressæ, et depictæ a Fratibus Discalceatis Augustinianis in eorum Habitu, prout in Decreto Sac. Rit. Congr. edito die 19 Decemb. 1627, quod ab Urbano VIII approbatur, et confirmatur Constit. incip. *Exponi nobis*, l. 240, tom. V *Bullar.* Ex post tamen dicta suspensio et prohibitio fuit revocata per varia posteriora Pontificia Rescripta de quibus vide quæ adducuntur in verb. *Imagines*, sub num. 39, ubi inter alia occurrit Rescriptum Benedicti XIII, specialiter attendendum. (40. Prohibentur sculpi, aut facere pingi Imagines Domini Nostri Jesu Christi, et Deiparæ Virginis Mariæ, ac Angelorum, Apostolorum, Evangelistarum, aliorumque Sanctorum et Sanctarum cum Habitu peculiari alicujus Ordinis Regularis, seu alio modo in Ecclesia Catholica incon-

sueto, et jam sic sculptæ, aut pictæ prohibentur teneri, et publico aspectui exponi et mandatur ab ecclesiis, et aliis locis quibuslibet amoveri et deleri. Et Regulares, et Moniales parere negligentibus possunt a locorum Ordinariis et Legatis Apostolicis juris remediis, et etiam Censuris Ecclesiasticis, et aliis arbitrio eorum ad observantiam cogi, et quoad loci Superiores etiam privationis Officii, ac vocis activæ, et passivæ pœnis compelli. Sic expresse statuit Urbanus VIII, 15 Mart. 1642, Const. incip. *Sacrosancta Tridentina*, l. 163 *Bullar.* Cherub. tom. IV.

(41. Habitum Fratrum Mendicantium osculantibus concessit Joan. XXII quinque annos, et totidem quadragenas de injunctis penitentibus, qui sunt dies 2075. Sic referunt Cassarub., verb. *Indulgentia quod ad Sæculares*, § 9, num. 6; Fr. Emanuel. *Quæst. Regul.* t. II, quæst. 76, artic. 10; Laurent. de Peyrinis de *Privileg. Regul.*, ad Constitut. Sixti IV, num. 5; Barbosa in *Summ. Apostol. decis.* verb. *Habitus*, numer. 5, et alii passim (15) (42. Talem Indulgentiam lucrari possunt iidem Regulares, quia conceditur omnibus Christifidelibus Habitum osculantibus, inter quos Fratres deterioris conditionis esse non debent; nec Indulgentia hæc revocata est per Paulum V, quia non est concessa Fratribus immediate, sed omnibus etiam sæcularibus; Lantusch., *Theatr. Regular.* verb. *Habitus*, num. 10. (43. Cum Habitu Fratrum Minorum morientibus, vel cum eo sepeliri eligentibus, Clemens IV, Nicolaus III et Urbanus V concesserunt remissionem tertie partis omnium peccatorum; Cassarub. in *Compend. Privileg.*, verb. *Indulgentia quoad Sæculares*, § 6, num. 1, 2 et 3. Leo X concessit Indulgentiam plenariam morientibus cum Habitu Fratrum Minorum, vel cum Habitu Sororum Tertie Regulæ Sancti Francisci sub obedientia Minorum Generalis, et Provincialium degentium, ad quam lucrandam declaravit idem Pontifex sufficere, Habitum prædictum petere, ac super se usque ad mortem habere, ac in eo sepeliri, etiamsi ante mortem non induatur. Casarub. loc. cit., num. 6, 7 et 8, et Alexander VI concessit, ut mulieres suscipientes ante mortem, vel post mortem, Habitum S. Claræ, habeant talem relaxationem peccatorum, qualem habeant viri pro Habitu Fratrum Minorum; Casarub. loc. cit., num. 5.

(44. Eligentes sepeliri in aliquo Habitu Religiosorum sive Minorum, sive aliorum habentium eadem privilegia per speciales concessionem, aut per communicationem, debent, ut lucrentur Indulgentias, recipere Habitum a Superiore illius Religionis, cujus est Habitum, vel ab alio, cui ille duxerit committendum, et non ab aliis quavis auctoritate fulgentibus; Sixtus IV in Bulla aurea. Unde prædictum Habitum dare non potest particularis Prater subditus, neque Confessarius Monialium, neque quivis alius, nisi id sibi a Prælo concedatur, Portell., *Dub. Regul.* verb. *Habitus*, additio ad additionem, et verb. *Sepultura*, num. 6. Non autem est

(15) Vide tamen dicta verb. *Indulgentia*, art. 5, n. 48. (EDIT. BARBIEL.)

necesse, ut Habitum petentes dent aliquam eleemosynam Fratribus pro Habitu, quia Bullæ Pontificiæ illas indulgentias concedentes nihil loquuntur de obligatione dandi eleemosynam pro illo. Rodrigucz tom. II, *Quæst. Regul.*, q. 76, artic. 10, ad fin. Portell. l. cit., verb. *Habitus*; Lantusch., loc. cit., num. 6.

(45. Volentes sepeliri in Habitu Religiosorum, non est de necessitate quod tumulentur in Ecclesiis eorum, quorum est Habitum, sed possunt sepeliri, ubi sepulturam elegerint; prout eorum relinquunt arbitrio a Leone X, Constit. incip. *Dum intra*, ibi: « Volentes quoque sepeliri in Habitu eorundem Fratrum in Claustro non degentes, sed in propriis domibus cohabitantes, in eorum ultima voluntate sepulturam sibi libere eligere possint. » (46. Sixtus IV statuit quod corpora volentium cum prædicto Habitu sepeliri, deferantur ad sepulturam sine alio pallio, vel tegumento super imposito; non obstante quacunque Ordinatione, vel prohibitione Ordinariorum locorum, etiam sub censuris facta. Sic refert Casarub. loc. cit., verb. *Sepultura*, n. 15. Vide verb. *Vestis*, n. 17.

(47. Sæculares utentes Habitu Religiosorum ignominiose in ludis, vel in lasciviis, peccant mortaliter, et per l. *Authentica, de Sanctiss. Episc.*, § ult., plectuntur exilio, et insuper incurrunt alias pœnas civiles, et possunt puniri etiam per Judices Sæculares; Silvester verb. *Habitus*, § 5. Portell. l. c., verb. *Habitus* num. 3. et alii. (48. Sic mortaliter peccaret, qui Habitum traderet ad lusum profanum, aut ad facinus exsequendum; Sanctorus in *Compend.*, verb. *Habitus*, n. 3, ex Constit. Ordinis cap. 2, Statut. 71, quæst. 4. (49. Hinc locorum Ordinarii, aliive Prælati Regulares non debent dare licentiam, nec permittere, quod Moniales tempore Bachanalium, recreationis gratia, dimittant proprium Habitum, et assumant alium Sæcularem, præsertim virilem, ut S. Cong. Episc. et Regul. rescripsit Episcopo Ferrar. 27 Aprilis 1654. (50. Femina enim non potest uti veste virili, nec vir veste feminea, et si hoc fiat sine prava intentione, periculo scandali, et libidinis, erit tantum peccatum veniale; alias mortale; Deuteronom. enim. c. xxii, v. 5, sic expresse habetur: *Non induatur mulier veste virili, nec vir utatur veste feminea; abominabilis enim apud Deum est, qui facit hoc*; nullum tamen erit peccatum si hoc faciat ex necessitate, quia necessitas facit licitum, quod alias est illicitum; cap. *Quoniam* 1, quæst. 7; cap. *Omnes* 1, de fer., cap. *Consulisti* 3, de *Celebrat. Missar.* In qualibet enim dispositione necessitas intelligitur excepta; cap. *Licet, de Pœnit. et Remiss.*

(51. Habitum, et Tonsuram deferre tenentur Clerici Beneficiati non solum in sacris constituti, sed etiam in Minoribus, et Clericali Tonsura insigniti, sub pœna privationis ipso facto, ipsoque jure Beneficiorum, et pensionum absque ulla monitione ac Judicis decreto, sed Beneficia ipsa libere aliis conferri possunt, et pensiones cassatæ et extinctæ dicuntur: Sixt. V, Constitut. 92, incip.

*Cum Sacrosanctum.* (52. Habitum decentem, atque vestem talem deferre tenentur percipientes fructus, vel pensiones ex Beneficiis Ecclesiasticis excedentes valorem 60 ducat. auri de camera; idem Sixtus V, in d. Constit. *Cum Sacrosanctum.* (53. Habitum dimittens Clericalem potest illum reassumere, non obstante irregularitate superveniente, et Ordinarii prohibitione; Sac. Congregat. Concil. in Mazarien. 27 Jun. 1630, et in Regien., 29 Nov. 1692, apud Monacell. tom. IV, supplement. ad tom. II, num. 199. (54. Clericalis vestis Laicis Curialibus permittitur, præter Collare, quod sit a Collari Clericorum diversum; Benedict. XIII, in Concilio Romano, tit. 16, cap. 4, ibi: « Laicis vero Curialibus, cum sæpe sit eis in Palatio nostro Apostolico versandum, sæpissime etiam cum Cardinalibus, et Prælatibus agendum, togam Clericalem nigram communem facimus; et Collaria Clericorum propria, sive rotundæ sint formæ, sive quadratæ, penitus prohibemus eisdem, et prohibita jam sibi esse sciunt, tenore servato nostri Edicti die 22 Januarii 1725 expediti. »

(55. Irregularitas ex homicidio voluntario non impedit reassumptionem Habitum Clericalis, et Episcopus procedat prout de jure; Sacra Congregat. Immunit. in una Civitatis Ducalis 10 Martii 1699, lib. I *Decr. Vallem.* pag. 206. (56. Clericus reassumens Habitum post commissum homicidium gaudet privilegio quoad personam tantum; ead. Sacra Cong. Immunit. in Gravenen. 7 Jul. 1699, d. ib., pag. 230.

(57. Item Clericus, qui post renuntiationem Clericatus inquisitus a Curia Laica, denuo reassumpsit Habitum, gaudet privilegio quoad personam tantum; eadem Sacra Congregat. Immunit. in Spoletana 20 Novemb. 1696, lib. II *Decr. Vallem.*, p. 49.

(58. Similiter Clericus, qui per duas vices renuntiavit privilegio Clericali, et ista renuntiatio acceptata fuit ab Ordinario, potest denuo reassumere Habitum, et gaudere; eadem Sac. Congreg. Immunit. in Marsicen. 22 Apr. 1692, lib. *Dec. Grim.*, pag. 121.

(59. Inquisitus de pluribus delictis, et obligatus ad ratiocinia ob officium Syndici Communitatis, de consensu Episcopi reassumens Habitum Clericalem, licet habeat uxorem, et filios, gaudet quoad personam, non quoad bona; eadem Sac. Cong. Immunit. in Sorana 2 Junii 1693, lib. I *Decret. Vallem.*, pag. 51.

(60. Item gaudet privilegio Fori Clericus reassumens Habitum, postquam exercuit officium Notarii, administravit publicum Archivium, ac alia officia Laicalia; ead. Sac. Congr. Immunit. in Narnien. 30 Sept. 1798, lib. II *Decr. Vallem.*, pag. 178.

(61. Clericus conjugatus soluto Matrimonio rite potuit reassumere Habitum cum Decreto Episcopi; ead. Sac. Congreg. Immunit. in Angonen. 19 Augusti 1693, lib. II *Decr. Vallem.*, pag. 169.

(62. Archiepiscopo injungitur ut adducat rationes cur denegat reassumptionem Habitum Clericalis; eadem Sac. Congr. Immunit.

in Tranen. 2 Decemb. 1692, lib. I *Decr. Vallem.*, pag. 8.

(63. Quidam Episcopus denegans, seu impediens reassumptionem Habitum adduxit sequentes causas.

I. Quod toto tempore habitum Matrimonii cum Virgine, et unica non inceserit in Habitu.

II. Quod non posset promoveri ad superiores Ordines ob imperitiam, et podagræ morbum.

III. Quod non reddiderit rationes administrationum locorum piorum juxta Ordines Episcopi.

IV. Quod exercuerit macellum et laridariam.

V. Quod esset Usurarius.

At cum primæ tres causæ militent in promovendis, non in promotis, dæ autem ultimæ non justificentur; Sac. Cong. pronuntiat: Orator utatur jure suo quoad reassumptionem Habitum; ead. Sac. Congr. Immunit. in una Civitatis Ducalis 13 Jan. 1699, lib. II *Decr. Vallem.*, pag. 197.

(64. Utens Habitu honorifico alicujus, ab eo inhiberi potest; Ursaya *Instit. Crimin.* tit. 10, § 4, num. 77. Abbas, in *Catal. Glor. Mund.* pag. 1, consider. 32 et seq. Menoch. *de Arbitr.* cas. 18, n. 23 et seq., l. II. *Ursel. Conclus. legal.* 171, num. 8, et alii passim.

(65. Benedictio parvorum Habituum faciendæ est a Patribus Carmelitis in illis locis, in quibus Conventum habent, etiamsi ante fundationem dictorum Conventuum facta fuisset a Parochis, vel a Capellanis Confraternitatum; A quibus pariter Patribus faciendæ est Processio in die Dominica infra Octavam propriæ Festivitatæ cum facultate tamen Confratribus illam associandi, vel faciendi aliam Processionem posteriori die. Vertente enim controversia inter Patres Carmelitas discalceatos Loci Biumi Varasii, et Confraternitatem Beatæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo super d. Confraternitatis translatione ad Ecclesiam prædictorum Patrum, eaque delata ad Sac. Congreg. Episcop. et Regul. prodiit die 13 Sept. 1707 rescriptum: *Confraternitatem non esse transferendam, et cum SS. profanatione, et quia præfata Confraternitas benedictionem parvorum Habituum, qui distribui solent a Patribus Carmelitis, impugnare, et Processionem similiter fieri solitam quolibet anno in Festivitate Beatæ V. ad suum libitum celebrare prætendebat, hinc pro parte dictorum Patrum die 1 Martii 1709 poposita causa in dicta Sacra Congreg. Episcop. et Regul. per Emin. Card. Corsinum, ex post Clement. XII, Summum Pontificem, fuit rescriptum: « Benedictionem et distributionem parvi Habitum spectare in posterum ad Superiorem Conventum Patrum Carmelitarum, et quoad Processionem videatur particulariter. »*

Reproposita vero die 22 Junii ejusdem anni 1728 fuit rescriptum: « Quoad benedictionem, et distributionem Habitum parvi persistendum in decisio. In reliquis, ad Emin. Archiepiscop. pro concordia. »

Tertia tandem vice iterum proposita die 10 Aprilis 1710 rescriptum fuit: « Quoad

benedictionem, et distributionem Habitum parvi persistendum in decisio 1 Martii et 22 Jun. 1708. »

« Quoad Processionem vero, illam faciendam prius esse die Dominica infra Octavam per Patres Ordinis cum facultate Confratribus, vel illam associandi, vel aliam Processionem alia die posteriori faciendi. » Sic refert Ursaya tom. III, part. I, disc. 24, ubi egregie rem tractat suo more per totum.

(66. Cum quidam Canonicus Regularis Lateranensis obtinisset Indultum Apostolicum retinendi Beneficium Parochiale cum Clausula servata forma decreti Clementis X, dubitatum fuit: primo an teneatur deferre Habitum Regularem, tam in functionibus Ecclesiasticis, quam extra Ecclesiam. Et secundo, an eidem competat regressus, seu reintegratio ad bona renuntiata occasione

## HÆREDITAS.

## SUMMARIUM.

1. Hæreditas quid sit? — 2. Tota Hæreditas a Jure vocatur As, et nisi aliter exprimat Testator, dividitur in duodecim partes, sex uncias, quæ singulæ pro numeri diversitate diversa sortiuntur nomina, quæ assignantur. — 3. Hæreditatis nomine veniunt omnes et singulæ res, jura, et commoda, sive parva, sive magna defuncti, quæ Hæres titulo Hæreditatis acquisivit, vel acquirere potuisset, item omnes actiones activæ utiles ad aliquid prosequendum, vel acquirendum. — 4. Appellatione Hæreditatis veniunt omnia bona ubique existentia, tam mobilia, quam stabilia, et etiam omnia credita, tam activa, quam passiva, et pariter Juspatronatus. — 5. Non veniunt tamen Hæreditatis nomine Legata, et minus Prælegata. — 6. Hæreditatis petitio quid sit. — 7. Adire Hæreditatem aliud non est, quam se pro hærede declarare, seu Hæreditatem amplecti, agnoscere, vel admittere. — 8. Aditio Hæreditatis variis modis contingere potest, scilicet verbis, factis, aut aliis signis, etc. — 9. Hæreditatem adire potest omnis, qui se obligare potest. — 10. Ad hoc, ut Hæreditatem adire quis possit, debet ei prius ex testamento, vel ab intestato esse delata Hæreditas, ac sufficienter constet, quod adire volens sit certo Hæres. — 11. Hæreditas ad hoc, ut transmittatur ad hæredes hæredis, debet prius esse adita, excepto casu, quo hæres suus nondum adit Hæreditatem. — 12. Per aditionem Hæreditatis acquirit quis jus, et dominium omnium rerum hæreditariarum, quas defunctus habuit. — 13. Nec requiritur, quod earum possessionem actu, et corporaliter accipiat. — 14. Possessio tamen ipsa non acquiritur per solam aditionem Hæreditatis, nisi quis eam naturaliter apprehendat. — 15. Aditio Hæreditatis transfert in hæredem omnem obligationem defuncti, et si vires Hæreditatis excedat, casu quo non fecerit inventa-

(1. Hæreditas nihil aliud est, quam universum Jus defuncti, textu expresso in l. *Hæreditas* 62, ff. *de Regul. Jur.* ibi: Hæreditas nihil aliud est, quam successio in universum jus, quod defunctus habuit.

(2. Hæreditas tota communiter a Jure vocatur As, et nisi aliter exprimat Testator, dividitur in duodecim partes, seu uncias, quæ singulæ, pro numeri diversitate, diversa sortiuntur nomina, omnes autem simul sumptæ Assem constituunt; unde Hæres totius Hæreditatis, Hæres ex Asse nominatur, arg. § *Hæreditas* 5. *Instit. de Hæred.* ubi

Professionis Regularis; et Sac. Congreg. Concilii in Firmana 23 Maii 1722 censuit: ad primum, ad mentem ut servaretur solitum; ad secundum, affirmative quoad usum tantum; sic refert Card. Petra tom V. *Comment. ad Constitut.* 9, *Sixti IV*, sect., unic. sub n. 5.

Habitus viatorius ad formam Habitum per Prælatos et Familiares Pontificis extra Urbem gestari soliti, servato tamen nigro colore, advocatis Consistorialibus conceditur a Bened. XIV, tom. I, Constit. 106 incip. *Inter conspicuos*, § 13.

(67. Alia quoad Habitum Clericalem; vid. verb. *Clericus*, art. 1. (68. Quoad Habitum Religiosum, vid. verb. *Apostata. Conventus. Novitius*. (69. Quoad Habitum Tertiarii, vid. verb. *Tertiarii*.

rium, vel sine beneficio legis, et inventarii Hæreditatem adierit. — 16. Hinc post aditionem Hæreditatis tenetur hæres solvere cuncta Legata, et Fideicommissa, totamque adimplere voluntatem defuncti, ita tamen ut detrudere possit a Legatis, non tamen piis, *Falcidiam*, vel a Fideicommissis *Trebellianicam*, si fecit inventarium. — 17. Hæreditas repudiari, vel adiri debet, alias habetur pro derelicta. — 18. Pro parte acceptari, et pro parte repudiari non potest. — 19. Repudiatio Hæreditatis est Hæreditatis jam delatæ recusatio, seu rejectio, vel non admissio. — 20. Hæreditatem repudiare potest omnis, qui eam acquirere potest. — 21. Ordinarie loquendo, qui semel Hæreditatem adit, eam repudiare amplius non potest, sicut e contra, qui eam repudiavit, illam adire amplius nequit. — 22. Limitatur autem conclusio in hærede suo, et in Minore. — 23. Renuntiatio Hæreditatis est cessio, seu remissio Juris, quod quis ad Hæreditatem habet, vel habere potest. — 24. Renuntiatio futuræ Hæreditatis alicujus adhuc viventis incerti, seu in genere, licite, et valide fieri potest etiamsi fiat in favorem tertii. — 25. Quævis renuntiatio Hæreditatis hominis adhuc viventis, etiam in alterius favorem facta, valet, si fiat cum illius consensu, quem non revocet usque ad mortem. — 26. Renuntiatio autem de Hæreditate viventis, sine hujus consensu facta, non valet. — 27. Nec talis renuntiatio valet, quamvis juramento confirmata sit. — 28. Distinctio inter Hæreditatem et res hæreditarias. — 29. Quid inter Hæreditatem et bonorum possessionem intersit. — 30. De aliis necessariis, ut quis adire possit Hæreditatem. — 31. De personis quæ Hæreditatem acquirere valent. — 32. 33. Alia de aditione Hæreditatis. — 34. Vendi etiam potest Hæreditas. — 35. Venditor favore emptoris tenetur de evictione, et de facto proprio. — 36. 40. Nonnulla alia circa Hæreditatum venditionem. — 41. 43. De Hæreditatum distributione.

etiam habetur, quod in potestate Testatoris sit, in quot partes Hæreditatem dividere velit, ibi: « Hæreditas plerumque dividitur in duodecim uncias, quæ Assis appellatione continentur: habent autem, et hæ partes propria nomina ab uncia usque ad Assem utpote hæc: *Sextans*, » id est sexta pars Assis, quæ facit duas uncias; *Quadrans*, sive quarta pars Assis continens tres uncias; *Triens*, sive tertia pars Assis complectens quatuor uncias totius Assis; *Quincunx*, sive quinque uncia; *Semis*, sive dimidium Assis comprehendens sex uncias; *Septunx*, sive

